



Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Constitutio Qva Concilii Tridentini pœnis subijciuntur Duellum priuatim
committentes, locum dantes, ac etiam suadentes, auxiliantes, &
spectantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

mito intimati, mandauit. In quorum omnium fidem, & attestationem,
ego Canc. Archiepiscopalis infrascriptus manu mea subscripsi.
Ex Cancellaria Archiepiscopali die xix. Ianuarij. M D LXXXII.

M. Ant. Bellinus Canc. Archiep.

CONSTITVTIO QVA CONCILII
Tridentini pœnis subiiciuntur Duellum priuatum
committentes, locum dantes, ac etiam sua-
dentes, auxiliantes, & spectantes.

GREGORIUS *Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpe-
tuam rei memoriam.*



AD tollendum detestabilem Duellorum usum Con-
cilium Tridentinum excommunicationem, & alias
grauissimas pœnas in concedentes locum ad Mo-
nomachiam, ac pariter in pugnantem, nec non pa-
trinos, consulentes, suadentes, & spectatores salu-
briter quidem decreuit: sed crescente hominum
malitia facinorosi non desunt, qui quod publicè
prohibitum est, priuatum exequi non dubitent, dum se pœnas prædi-
ctas hoc modo eludere posse arbitrantur. Nos ad hæc coercenda ple-
narius, euidentiusque prouidendum esse rati, considerantesque Duel-
lum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium es-
se, quàm quod publicè perpetratur: Auctoritate Apostolica statuimus
omnes illos, qui ex condicito statuto tempore, & in loco conuento Mo-
nomachiam commiserint, etiam si nulli patrini, sociiue ad id uocati
fuerint, nec loci securitas habita; nullæue prouocatoriæ litteræ, aut de-
nuntiationis chartulæ præcesserint, censuris, & pœnis omnibus à dicto
Cōcilio propositis teneri perinde, ac si publico, & consueto abusu sin-
gulare certamen iniuissent. Volentes etiam locorum dominos, si certa-
men ex condicito huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, nō
prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium,
consilium, uel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum,
& alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores,
uel socios quouis modo sese præbentes, eisdem censuris, & pœnis su-
biacere, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnatu-
ri accesserunt, impediri

impediti pugna non commiserint, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur. Non obstantibus priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus tamen, & alijs sanctionibus Apostolicis, ac de re disponentibus in suo robore duraturis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ. M D LXXXII. Non. Decembris, Pontificatus nostri anno Vndecimo.

M. Datarius.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, indictione Decima, die uero Veneris uigesima quarta mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregori diuina prouidentia Papæ XIII. anno undecimo, retrospectæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad ualvas Ecclesiæ Sancti Io. Lateranen. Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tallietum Apostolicos Cur. Pet. Delbequez Magister Cur.

Publicatæ Mediolani die x. Martij. M D LXXXIII.

M. Ant. Bellinus Cancell. Archiepisc.

CONSTITVTIO DE ABBATISSIS
& alijs monasteriorum Monialium Præfectis, non
ultra triennium per uniuersam Italiam
in futurum eligendis.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.



Xposcit debitum pastoralis officij quod disponente Domino gerimus, ut ad ea sollicitè intendamus, per quæ Monasteria. & alia religiosa loca, præsertim Deo dicatarum Sanctimonialium, secundum regularis discipline normam regantur, & gubernentur. Perpendentes igitur uaria, & multiplicia damna, quibus plerumque afficiuntur Monasteria Monialium, quæ per Abbatis, uel alias Præfectas perpetuas reguntur,

Ooo ècontra